





*quod non essentialia discrimina intercedat  
inter Academicas et Gymnasia academica*

GRATIOSUM ac BENEVOLUM  
LECTOREM  
AD  
ORATIONEM  
SUB  
AUSPICIUM  
PUBLICARUM  
PRÆLECTIONUM

D. VII. APRIL. A. O. R. MDCCVII.

H. L. Q. C.

HABENDAM,

HUMILLIME AC DECENTER

INVITAT

D. CHRISTIAN. WEIDLINGIUS,

Confiliar. Saxon. & Illustr. August.


Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS BRÜHLIANIS.

BIBLIOTHECA  
MONICRAVIANA





Nolita dudum non paucos Jurisconsultorum æque ac Politicorum tenet persuasio, inter illustres Academiæ universæ Sapientiæ augusta templa, & Gymnasia Academica divinarum ac humanarum scientiarum Sacra, in signo quoddam ac essentielle plane intercedere discrimen; eo quod in his ad summum eruditionis fastigium aspirare haud liceret. Quæ opinio quam immane quantum a genuino veritatis declinet tramite, accuratori animi trutina rem pensantes facile observabunt, cum magis & minus secundum communem Philosophorum consensum non gignat diversam speciem, sed gradum. Aluit autem procul dubio hunc errorem cœca nonnullorum eruditorum veneratio, quorum placita intellexisse summum credere perfectionis gradum, quasi quo progredieretur amplius, humani ingenii solertia non haberet. Enim vero uti sola autoritate vix movemur: ita quid ad rationes contrariam sententiam tuentium præcipuas respondendum, exponemus; postquam pauca fundamenta nostrum assertum corroborantia præmiserimus. Nolumus autem sollicita Homonymiæ explanatione oleum & operam perdere, sed tanquam concessum ac firmo talo nitens asserimus, quod Gymnasia Academica in Imperio Romano

Ger.

Germanico sint Scholæ majores ac illustres ad tradendas  
 adultioribus eo exactius liberales artes superioresq; Fa-  
 cultates, a Statibus Imperii propria autoritate institu-  
 tæ, & singularibus privilegiis ac prærogativis ornatae.  
 Illi, qui politionibus Antiquitatum & Historiarum se  
 manciparunt studiis, in enucleanda origine fontem ape-  
 riant haud injucundum. Tantum namque abest, ut Aca-  
 demia ab *ἀνος* & *δημος*, quasi remedium rudioris populi ef-  
 fet, natales suos repetat, ut potius ab ejus primo Autore  
 Academo, viro Heroe, qui Athenis Gymnasium fundasse,  
 eiq; fundos suos destinasse dicitur, ita nuncupatam esse,  
 defendant Laërt. *Lib. III. de Vita Philos. p. 96.* Pausan. *L. 1. f. m. 34.*  
 Tria vero, testantibus ita Historiarum monumentis, ibi-  
 dem tunc temporis florere Gymnasia: Superius, cui Ly-  
 ceo nomen, & primo secundum quosdam Antisthenes  
 Cynicæ Sectæ, ac postea Aristoteles præfuit, Auditori-  
 bus suis ac Sectatoribus nomen Peripateticorum indens  
 secundum Ciceronem *Acad. Quæst. Lib. 1. c. 4.* Medium in Por-  
 ticu situm & Stoa dictum, cui Zeno præses Sectæ Stoicæ  
 suo tempore autor fuit, vocat hoc Cicero Ptolomæjum  
*Lib. V. de Finibus in pr.* & hoc Inferius Academia dictum, in  
 quo Plato natus & Philosophici Doctoris munus exer-  
 cuit, nomen Platonicorum Sectatoribus suis imponens.  
 Quis saniorum Politicorum ex hoc Academiarum ortu  
 colligere non poterit. Gymnasia Academica, si non plane  
 eadem cum Academiis, nec tamen essentialiter diversa ef-  
 se, sed in quam plurimis conferenda? Quis genuinorum  
 Philologorum facile in dubium vocabit, Gymnasia jam  
 laudata & Academiis non solum apud Ciceronem pro  
 vocabulis idem significantibus haberi *Lib. IV. Epist. ad Famil. 12.*  
*& Lib. 1. Epist. ad Attic. 3.* sed & hodiernum Academia titulo  
 Gymnasiorum primariorum insigniri *Limn. Jur. Publ. L. VIII.*  
*c. 1. n. 11.* Sicuti vero demonstrare est probare rem per  
 causas proximas & necessarias: ita ex causis internis

constitutionem rei ingredientibus sententiæ nostræ maximum accedet robur. Materiam Academicarum, personas intelligo, ex quibus Collegium Academicum prudentia dirigente conflatum, si intuemur, offendimus, illam exacte ad Gymnasiorum nostrorum ideam quadrare. In quolibet enim Gymnasio Academico æque ac in ipsis Academicis Rectorem, Cancellarium, Professores & Studiosos seu Cives inveniri, nemo facile inficiabitur. Rector enim tanquam Caput Gymnasii matriculam penes se retinet, in eandem membra accedentia refert, ac illa prævia Juramenti, vel ubi moris est, stipulationis præstatione recipit, de causis, negotiis & delictis pro qualitate & modo Jurisdictionis competentis cognoscit vel solus, vel si gravitas rei id exigat, Consilio Professorum simul adhibito. Præ aliis Professoribus singulari non tantum honore & dignitate, sed & tunica ac mitra purpurea in signum eminentis amplitudinis, & singularis Principis in Gymnasio affectus utitur. Schwed. *Introd. in Jus Publ.* p. 326. Reliquæ personæ tam principales, quam accessorie iisdem cum Academicis gaudent requisitis, privilegiis & immunitatibus. *Limn. lib. VIII. c. 7. & 9.* *Lanf. de Academ.* p. 58. Multo minus de convenientia ratione Formæ dubitandum, quæ præter esse & distingvi dare dicitur. Duo autem essentialia requisita formam absolventia communiter a Jurispublici Doctoribus laudantur, scilicet potestas publica tradendi omnes artes liberales & Facultates Theologicam, Juridicam, Medicam & Philosophicam cum jure exercendi Jurisdictionem competentem. Nam quamvis Studiosi tanquam liberales homines liberaliter & humaniter sint tractandi; quæ etiam de causa Rectoribus Academicarum non fasces & secures, sed sceptrum tanquam moderatioris imperii insignia præferuntur, ut bene observavit *Cothm. Responf. Acad. l. n. 204.* *Lanf. de Acad. p. m. 51.* Quia tamen ad illas ceu nundinas universales undique concurrunt

runt tam bonarum, quam pravarum mentium homines; absurdi nihil esse duco, si necessitate exigente in illos etiam debito rigore executio justitiæ demandetur, & in signum exemptionis ab ordinaria Jurisdictione Academicis talis potestas concedatur. Matth. Steph. *de Jurisdicth. L. III. part. 3. c. 12. p. 109.* Limn. *de Jur. Publ. L. VIII. c. 9. n. 32.* En! clarissimum speculum, in quo Gymnasiorum Academicorum idea vivis quasi sistitur coloribus, cum horum explicatorum privilegiorum concatenata possessio, & haud interrupta usurpatione pro me verba faciat. Eo autem clarior nostra evadet sententia, si ea, quæ in contrarium hic adduci ab adversa parte possunt, discussimus. Sunt igitur, qui urgent, Formæ essentiali deesse nobilissimam ejus partem, scilicet facultatem conferendi honores Academicos, cujus usum jam seculo decimo tertio introductum fuisse patet ex Clementis V, qui jam An. 1305 Pontifex factus, decreto, quod extat in Corpore Canon. C. 2. *Clement. de Magistris.* At ad hoc reponere licebit: Etsi hæc potestas accessoria Gymnasiis Academicis non sit data; effectum tamen cum essentia rei confundendum esse neutiquam censemus. Nam quo usque hortorum fructus ab arboribus distant fructiferis; eo usque & fructus diligentia ab Academicis scientiarum seminariis. Et cui, qui Politicis imbutus est principiis facile ignotum esse poterit, quod aliqua famigeratissimarum Academia- rum per aliquot lustra jure creandi Theologiæ Doctores fuerit destituta? Nihil porro in contrarium facere videtur, Illustrissimos quidem Imperii Proceres, validissima corporis hujus Politici fulcimenta egregia privilegia ac jura Gymnasiis Academicis largiri posse, illustrium vero Academicarum constitutionem necessario Inviçtissimi Imperatoris autoritate esse muniendam, Legibus fundamentalibus id desiderantibus, cum summo ac primario Imperii Capiti hoc jus tanquam Reservatum competat, *Ordin. C. p. 1. tit. 3. §. de Regl.* Unde Maximil. Imperatorem

in Comitibus Wormatiensibus an. 1495, singulos Electores ad novas Academijs erigendas excitasse, inter alios annotavit Sennert. in *Athen. Wittebergens.* c. 2. & Cluver. in *Epitom. Histor. sub Maximil. 1. in pr.* Dantur autem utique Academiae minus solennes, a Gymnasijs Academicis parum vel nihil differentes, potestate ornandi bene meritos honoribus Academicis absque splendoris & autoritatis jactura destitutæ, quales non solum in Gallia & Italia, sed & in nostra reperiuntur Germania, uti *citatur*. *Limn. in Notit. Regn. Franc. L. V. c. 2.* palam facit; quarum constitutionem etiam ad Status jure suffragii & sessionis gaudentes spectare, nemo contra Imperii leges inficias ire audebit. Nec est, quod quis regerat: Cancellarium esse personam maxime principalem, hac vero deficiente, illustrem hunc cœtum conservari vix posse; essentielle igitur ac specificum discrimen inter Gymnasia Academica & Academijs ipsas existere. Nam Cancellarius vel sumitur pro persona publica ad facultatem conferendorum merentibus graduum concedendam ordinata, vel pro ea, quæ ad Academiae jura defendenda a superiori constituta. Illa, uti ex superius dictis satis elucet, plane ad præsens haud spectat institutum: hujus vero munera indulgentissimi Principes melioris ordinis causa per Consistoria sive Judicia Ecclesiastica exercent. *Vid. Constit. Electoral. Augusti de suis Acad. & Lanf. de Academ. p. m. 58.* Scrupulum quoque injicit illud, quod Gymnasijs Academicis non competat superior Jurisdictio, seu merum imperium, sed inferior saltem, alias mixtum imperium dicta. Ad hoc autem diluendum dubium responsione sequenti utendum; quod Academiae quidem Viennensi, Colonienfi, Ingolstadiensi, Heidelbergensi, Rostochienfi, Lipsienfi, Tubingenfi, Helmstadiensi & alijs test. Scipione Gentil. *de Jurisdic. Lib. III. cap. 17.* Merul. *in Prax. Civil. Lib. IV. tit. 40. c. 3. n. 6.* Cothm. *diç. Respons. 1. n. 135. seqq.* a summo Orbis Imperantis Capite Imperatore  
supc-



superior Jurisdictio sit tributa, ad omnes tamen genera-  
 tim Universitates concludere boni disputatoris vetat  
 methodus: cum nec Francofurtana jus gladii habeat, sed  
 illud primum Elector Joachimus Fridericus sibi Succes-  
 soribusque suis asseruerit, ut diserte testatur non solum  
 Brunn. in *Comm. ad Cod. tit. ne fil. pro patr.* sed & Becm. in *Notitia U-*  
*nivers. Francof. p. 45.* Quæ autem mero imperio vel jure vitæ  
 ac necis donatæ, illud ex peculiari & recentiori conces-  
 sione Magnificentissimorum Conditorum illis hæc privi-  
 legia indulgentium habent, exq; diplomatibus dignosci  
 potest, Cubach. *Cent. III. dec. 9.* Tandem ea, quæ de majori  
 Professorum numero, Rectoris munere ambulatorio,  
 sceptrorumq; ad conciliandam majorem dignitatem usu  
 afferri possent, nostræ minime officiant sententiæ, cum  
 hæc non solum variant variantibus Academiis, sed & me-  
 rorum accidentalium catalogo, differentiam gradua-  
 lem, non essentialem inferentium, sint inferenda. Tale  
 Gymnasium Academicum Coburgense est, a Serenissi-  
 mo Saxonie Duce Joh. Casimiro An. Ch. 1602 institutum,  
 sed demum An. 1604 postquam Collegium ædificatum  
 fuit, introductum, undecim Professoribus ac Convicto-  
 rio publico ornatum, ut refert Zeiler. in *Topograph. Franc. f. 21.*  
 Baruthanum a Marchione Brandenburgico, Christiano  
 Ernesto An. 1664 fundatum, Professores omnium Facul-  
 tatum & magistros exercitiorum equestrium cum men-  
 sa publica habens; Stetinense Pomeraniae a Barnimo IX  
 An. 1541 fundatum Professoribusq; publicis instructum,  
 Zeiler. in *Itiner. Germ. c. 17. f. 377.* Michael. in *Pomer. L. VI.* Serve-  
 stanum in Anhaltinatu a Principe Johanne Ernesto An.  
 1585 Professores publicos ac Rectorem Magnificum ha-  
 bens institutum, ut post alios refert Schick. in *Annales Siles. L.*  
*1. c. 42. f. 233.* Herborense, Heilbrunnense, Lüneburgico  
 aliisque, urgente chartæ angustia, silentio involutis, Illu-  
 stris Augustei, Gymnasii patris a REVERENDISSIMO AC  
 SERE-

PKTg 812

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO  
**AUGUSTO**, gloriosissimæ memoriæ, Germaniæ  
Primate & postulato Archiepiscopatus Magdeburgen-  
sis Administratore, Duce Saxonix, Julix, Clivix, Mont-  
tium, Angariæ & Westphaliæ &c. &c. erecti, Rectore  
purpuram gerente, Professoribus omnium Facultatum,  
ærarü Præfecto, Actuario, equestrium exercitiorum ma-  
gistris, templo, Bibliotheca, taberna libraria, typogra-  
phia privilegiata, mensa publica magnificaqve dote or-  
nati, mentionem injicere lex pietatis imperat. Cum  
igitur a SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. JOHANNES GEORGIO**,  
Duce Saxonix, Julix, Clivix ac Montium, Angariæ ac  
Westphaliæ &c. &c. Domino ac Nutritio meo Clemen-  
tissimo mihi ex Alma Lipsiensi, in qua per viginti, & quod  
excurrit, annos docendi perspicuitate ac dexteritate, in  
Facultatibus tam principalibus, quam instrumentalibus  
Studiolæ Juventuti indefessas præstiti operas, evocato,  
laudato in Augusteo munus publice tradendi Oratoriam  
pariter ac Philosophiam Practicam clementissime mihi  
fuerit demandatum; more majoribus solito prælectio-  
num mearum auspiciis Oratione inaugurali, adspirante  
sanctissimi Numinis gratia, facturus, proximo die Jovis de  
PRUDENTIA CIVILI ARTEQVE ORNATE DICENDI tanquam  
ILLUSTRIORIBUS SUMMORUM PRINCIPUM RECREATIONIBUS  
differere animus est. Qui actus ut vestra, Summi Patroni,  
Honorandi Fautores, politionumq; studiorum industrii  
Cultores gratiosa, honorifica ac amica præsentia illustri-  
or reddatur, omnibus contendo precibus, istud singula-  
ris gratiæ ac propensæ benevolentix documentum de-  
votis votis, debitis obsequiis, ac sincero amore compen-  
saturus. P. P. Dominica Lætare die 7 April. A. O. R.

M DCC VII.



MC

Prov. Täg 872 FK

vd 18

ULB Halle 3  
002 631 466





Ek. 133  
77

II 9  
812

*quod non essentiale discrimen intercedat  
inter Academicos et Gymnasia academica*

GRATIOSUM ac BENEVOLUM  
LECTOREM  
AD  
**ORATIONEM**  
SUB  
**AUSPICIUM**  
PUBLICARUM  
**PRÆLECTIONUM**

D. VII. APRIL. A. O. R. MDCCVII.

H. L. Q. C.

HABENDAM,

HUMILLIME ac DECENTER  
INVITAT

**D. CHRISTIAN. WEIDLINGIUS,**

Confiliar. Saxon. & Illustr. August.

Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,  
LITERIS BRÜHLIANIS.

